prolationis, Hæc alio nomine Mensuralis, alio, Noua appellatur, quod varias mensuras ac figuras admittat, Estq; vtriusq; vsus, tam in mutis per se instrumentis (vt sic breuiter omnes huius artis species complectar) q̃ in viua hominis voce.

## DE SCALA CAP. II.

Initio scala est tradenda propter clauium ac vocum diuersitatem, quam qui ignorat, quasi cæcus in ignota regione versatur, nec certi quicquam de cuiusq; cantus natura, eiusq; in partibus distantia. Item, de solmisatione, vt vocant, de vocum mutatione & earum progressione tenet. Proinde plurimũ refert hanc in primis bene didicisse. Claues vero numero sunt viginti, videlicet Γut, Are, &c. vltra quas si progressum fuerit in cautu mensurali (Choralis enim nunquam expatiatur) sursum vel deorsum versus, sumantur claues & voces inferioris aut superioris octauę, ac classis, Differunt autem claues inter se lo-



http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/listenius1537/0013
© Universitätsbibliothek Freiburg